

**Dissertatio medica inauguralis de podagra ... / eruditorum examini subjjcit
Railton Atkinson.**

Contributors

Atkinson, Railton, -1847.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rzrrtt7p>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





PODAGRA

D. GEORGE BAIRO, S. T. P.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PODAGRA.

DISSERTATIO MEDICA

INFLUENTIALIS

BY

P O D A G R A

MDCCC

AMSTERDAMI SEBASTIO NUNNIO

AT MONTMARTRI ADPHELIUM NUNNIO 1788

B. GEORGI BALTH. SS. T. P.

ALPHONSE KLEINBUCHER'S IN FERTIL

SECTION

AMERICAN SCIENTIFIC ACADEMY'S CONGRESS, BY

NOBILISSIME FACULTATIS MEDICAE PRAESENT

1810 Georgii Balth.

PROFESSOR IN MEDICINA HONORABILIS AC PRIVILEGIAT

ATQVE ET ACADEMIAE UNIVERSITATIS

ARCHIDUCIS AUSTRIACAE VIENNAE

BALTH. ATINSON

INGLIS

DE MED. NAT. VIENNAE 1788

PROFESSOR

DE MED. NAT. VIENNAE 1788

PROFESSOR

ALPHONSE KLEINBUCHER'S IN FERTIL

SECTION

1810 Georgii Balth.

PROFESSOR IN MEDICINA HONORABILIS AC PRIVILEGIAT

ATQVE ET ACADEMIAE UNIVERSITATIS

PATRI SUO OPTIMO, CARISSIMO,

THOMAE ATKINSON, ARMIGERO,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

AB AETATE INFANTILI

IN SE COLLATA ;

HASCE STUDIORUM EJUS PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VULT

FILIUS AMANTISSIMUS

RAILTON ATKINSON.

PATRICK AND OTTUM, CARRIERS

THOMAS ATKINSON, ARMY

THOMAS ATKINSON, ARMY

AN ARMY IN THE

IN THE COLONY

MAJOR GENERAL RICHARD

RICHARD RICH

THE

THE ARMY

BALLOON ATKINSON

NECNON

VIRO SPECTATISSIMO

THOMAE ELLIOT, M. D.

PER MULTOS ANNOS SUMMO CUM HONORE

ARTEM APOLLINAREM FACIENTI

CARLEOLAE IN COMITATU CUMBRIENSI ;

CUJUS SUB AUSPICIIS PRINCIP^PIS MEDICINAE

PRIMUM IMBUTUS ERAT ;

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI DEVINCTISSIMI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

DICAT DEDICATQUE

AUCTOR.

THOMAS ELLIOT M.D.

PHYSICIAN AND SURGEON

OF THE

GENERAL DISPENSARY

AND

OF THE

ROYAL DISPENSARY

OF THE

ROYAL DISPENSARY

OF THE

ROYAL DISPENSARY

To
D^r Woodforde with the
best wishes of his
Friend the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

P O D A G R A.

AUCTORE RAILTON ATKINSON.

PRAEFATIO.

ESCRIPTIS auctorum antiquorum de arte medicinae Podagram eos bene cognovisse apparet, nam in scriptis HIPPOCRATIS, ARAE-TEI, GALENI, et aliorum memoratur; et, quod maxime peculiare est, e scriptis eorum apparet, eam ab iisdem causis originem suam duxisse, eundem cursum decurrisse, eadem symptomata, et eundem modum curationis habuisse ac hodie; etiamsi ars medicinae mutationes multas et magnas et incrementa, ex interitu eorum virorum celeberrimorum sustinuerit. Sed ex usu varietatis magnae

ferculorum bene conditorum quibus mensae Epicuri et divitis oneratae sunt ; hic morbus inter homines magis praevalet : non enim solum plethoricum et validum, sed etiam macrum et melancholicum affligit.

Etiam si hic morbus attentionem nonnullorum auctorum primorum in arte medicinae occupaverit, pauci morbi sunt quibus corpus affectum est, qui tam diu in tenebris involuti fuerint, vel pro quibus modi curationis tam multi et diversi fuerint quam pro Podagra ; quia nullus auctor est, qui suum remedium peculiare non habeat. Cùm, tamen, vim hujus morbi inter homines omnis aetatis et severitatem ejus aggressionum, et mala varia quae superveniant, videamus ; mirum apparet, medicos hujus aetatis illuminatae, veram naturam et causam hujus morbi non explicare conatos esse ; e tempore, enim, HIPPOCRATIS et GALENI non apparet ullum progressum notitiae, vel de natura, vel causa, vel modo operandi hujus morbi fuisse. Saltem manifestum est, empiricos

omnigenos semper medicis hujus morbi curatione praestitisse, consiliumque eorum et usum medicamentorum aspernatos fuisse. Hoc, certe, e dolore cruciante quem accessus Podagrae efficit, existit, nec ullum remedium, cui specifici nomen applicari potest, adhuc notum est ; nihilominus attentionem maximam medicinae facultatis meretur.

De hoc morbo, equidem confiteor, experientia mea non multum aut potius nihil omnino novi docuit ; ob quam causam libris eorum auctorum celebrium, qui de Podagra scripserunt, utar, cura adhibita, ne limites opusculo hujusmodi vulgo datos, transiliam.

DE DEFINITIONE.

De nomine quod huic morbo optime applicandum videtur ; multa controversia inter auctores orta est ; sed puto, nomen optimum esse, quod ab auctore celeberrimo, Doctore

CULLENO, ei datur, nempe “ Podagra ;” quia pars corporis primum affecta, pes est ; et ejus definitio optima est, quae in verbis sequentibus profertur, “ morbus haereditarius, oriens sine causa externa evidente, sed “ praeunte plerumque ventriculi affectione “ insolita ; pyrexia, dolor ad articulum, et “ plerumque pedis pollici, certe pedum et “ manuum juncturis, potissimum infestus ; “ per intervalla revertens, et saepè cum ventriculi, vel aliarum internarum partium “ affectionibus alternans.” Sola pars hujus definitionis, quae exceptionibus obnoxia esse videtur, est “ morbus haereditarius ;” quia non semper ita est, sed in multis exemplis morbus acquisitus est ; quod, ad consuetudinem pravam in mensae luxuriis, et liquoribus vinosis et spirituosus attribuitur, quae causas contingentes dicere possumus.

DE MORBI HISTORIA.

HIC morbus tamen inter antiquos quam inter homines hujus aetatis praevalebat ;

quare non iisdem causis attribuitur, quae fere ei hîc assignatae sunt, nempe mensae luxuriae ; etiamsi bene notum est nobis, divites et opulentos in ejusmodi luxuriis multum animis obsequi.

Hic morbus plerumque haereditarius est, quamvis in multis exemplis acquisitus. Eos praecipue invadit ; qui otio cum dignitate vitam sedentariam degunt, et qui in luxuriis et liquoribus spirituosissimis, nocte praecipue, indulgere solent. Sexum virilem fere invadit, et praecipue homines plethoricos, thorace amplo, et capite magno, quamvis eos habitûs contrarii frequentèr invadit. Morbus est cui homines eruditi obnoxii sunt, ac studio intento inducitur, quod vigiliam multam, et magnam animi exertationem postulat. Sine causa externa saepissime oritur ; rarissime ante pubertatis aetatem, plerumque inter annos vigesimum et quinquagesimum. Sexus muliebris etiam ejus aggressionibus aequè ac virilis obnoxius est ; eae praecipue quae sunt habitûs robusti

et validi ; in iis quoque antequam catemen-
niae cessatio acciderat ; et CULLENUS illus-
trissimus sic dicit, “ I have met with it oc-
“ curring in several females whose menstru-
“ al evacuations were more abundant than
“ usual.”*

Ii qui exercitatione multa corporis utun-
tur, ei rarissimè obnoxii sunt, vel ii qui ci-
bo vegetabili praecipue aluntur ; hinc ejus
magna inter agricolas infrequentia.

Primo accessu pedum fere invadit, et ple-
rumque articulum pollicis pedis, et per to-
tum primum accessum in hoc loco perstat ;
tametsi, aliquando, alias partes corporis pri-
mo aggreditur, ut tarsum, carpum, genu et
ceteras ; frequenter demigrans si accessus
non austerus fuerit. SCUDAMORE dicit,
eam in plurimis exemplis quae videbat,
primum aggressam in aliqua parte pedis fu-

* First Lines, par. 494.

isse. Inflammatio, quae hunc morbum comitatur, speciei peculiaris esse videtur, et, ut puto, sui generis appellari potest. Dolore plurimo torquente comitatur, non constans, sed per intervalla inter accessum revertens, et suum locum mutans. Non semper nobis accessus signum dat, praecipue in primo accessu; tametsi eum fere symptomata manifesta antecedunt, quae Podagrico notissima sunt, accessûs praenuncia esse. Haec sunt symptomata; torpor totius artus, sensus punctionis in parte affecta, cum dolore obtuso articuli. Praeter has affectiones artuum, totum corpus plus vel minus affectum est; cum animi depressione et languore; praecipue functiones ventriculi et canalis alimentarii plurimum turbantur; appetitus irregularis, nunc depravatus, nunc voracissimus est; quod signum pridie morbi accessionis plerumque observatur. Alvus aut constricta est aut laxa; urina est in parva quantitate, rubra, sedimentum furfuraceo-lateritium deponens; magna est irritabilitas vesicae urinae et urethrae, cum se-

cretionem aucta membranae mucosae in iis partibus. Genus nervosum etiam affectum est, quod universi corporis languore indicatur, cum multa agitatione animi. Praeter omnia haec indicia, caput etiam aliquando afficitur, cum sensu caloris, dolore levi, et faciei rubore suffuso, aliquando tussis gravis cum multa excreatione mucosa accessui supervenit.

Haec omnia indicia primo accessui Podagrae plusve minusve supervenire inveniuntur.

DE INDICIIS PRIMI ACCESSUS.

SEU indicia supra dicta obveniunt, seu aeger valetudinem bonam possidens, subito Podagrâ plectitur; tempus frequentissimum accessus media nox esse apparet, vel ex eo tempore ad horam tertiam vel quartam matutinam; cum, dolore saevo in aliquâ pedis parte, sed praecipue in articulo pollicis pri-

ino, somno expergiscitur; dolorque gradatim usque ad horam quintam vel sextam matutinam ingravescit; magnam inquietudinem et indicia febris producens; cum indiciorum vehementia gradatim minuitur cum diaphoresi leni. Per totum accessum in parte affecta sensus caloris, cum palpitatione vehemente et rigiditate pedis sentitur, tunc per diem indiciorum remissio est, quae vespere violentiâ majore revertunt.

Primo mane accessûs integumenta vicina tumida, rubra, et nitida sunt, et in magnitudine venae vicinae, sanguine exsaturatae, magnopere crescunt.

In accessibus levibus, non diutius quam dies duos vel tres primus accessus perdurat cum exacerbationibus notabilibus in vespere. Principio, alter pes solummodo afficitur, sed prout ejus accessum frequentia crescit; ambo pedes, et genua, et manus, et carpi sine discrimine afficiuntur; et in quocunque loco morbus apparet, signa quae an-

tecedunt, consensusque instantes haud aliter sese habent. Dolor hunc morbum comitans generis peculiaris est, et a variis aegris variè describitur; alii cuneo articulis adacto; alii aquae bullienti super partes fusae; alii rosioni partium à canibus, eum comparant; cum calore simili plumbo bullienti super eas fuso. SYDENHAM illustris, dolorem quem ille sentiebat, ossi luxato, et aliquando rosioni canum, comparabat.

Per paroxysmum, habitus universus, aequae ac partes externae, plusve minusve afficitur; in accessibus levibus non ulla sunt signa evidentissima affectionis compagis universae, nisi nonnunquam dyspepsiam levem esse apparet; sed in exemplis gravioribus ventriculus et viscera chylopoetica adjuta planè afficiuntur, quum multum inflationis est; lingua albida; multa sitis; anorexia; nausea; ructus acidus; et aliquando vomitus materiae acerrimae; plerumque alvus adstricta est, et quum laxa, faeces universè sordidae, noxiae, et fuscae

sunt. Urina in parva quantitate secernitur, fuscior quam e naturâ, et frigidula sedimentum puniceum deponens, et aliquando mucum continens; etiamque pondus specificum majus quam in sanitate est.

DE DIAGNOSI.

PODAGRA, symptomatis suis peculiaribus morbus est qui cum aliis non facile confundi potest; sed profectò, sunt aliqui morbi, cum quibus confundi queat, nempe Rheumatismus, Erysipelas, et Phlegmon; sed attentione idoneâ symptomatis adhibitâ, ab iis facile dignosci poterit.

A Rheumatismo, in primo accessu dignota est, quia perrarum est, ut plures partes non semel afficiantur; accessus ante aetatem maturam raro obvenit; sed in Rheumatismo nulla aetas ab eo immunis esse videtur. Remissiones doloris et pyrexiae per diem in Podagrâ quam in Rheumatismo multo ma-

gis distinctae sunt, et accessiones graviores intervallis brevibus revertentes. Est, in Podagrâ, effusio serosa in membranâ cellulosâ fere statim post accessum qua vestigium digiti pressura relinquitur, cùm inflammatio parte cessavit, et priusquam pars tensa sit; dolor augetur, cum summo sensu caloris et palpitationis.

Ab Erysipelate distinguitur quia inflammatio magis superficialis est quam in Podagrâ, et magis super partes vicinas vagari propensa est. Caloris multo minus est; et urticarum puncturis quam doloribus Podagrae vehementibus similior est: nec partes tam motu, quam in Podagrâ debilitantur.

A Phlegmone.—Confundere Phlegmona cum Podagrâ fere impossibile est, nisi initio accessûs. Sola symptomata cum quibus confundi possunt, sensus caloris et palpitationis in parte affectâ sunt; et jam tum, rebus utrique propriis attente spectatis, et quae ad constitutionem, et quae ad partes

quasdam prae ceteris pertinent cito omne dubium quod ad naturam morbi attinet, tolletur.

DE PROGNOSI.

UT praesagium in Podagrâ certum praebeatur ad multas res respicere oportet. Saltem fere solummodo e phaenomenis localibus pendet, et eae diversae sunt, prout accessus mitis vel gravis est. Nam cùm paroxysmi mites et haud abnormes sunt non rarò accidit, ut homines hac in conditione ad senectutem extremam vivant, et sine ulla imminutione ejus corporis et animi vigoris cujus defectus fere senectutis exitus est.

In primo accessu Podagrae prognosis fere fausta est, si habitus aegri generalis bonus est, si non adhuc vitam pravissimam degit, et si causae remotae non validae sunt. Inter signa ejusmodi terminationem indicantia,

viscerum sanitatem memoremus ; foeces similitudinem naturalem sumentes ; urinam in quantitate ampliore secretam, coloris lucidi, haud parùm sedimenti deponentem, et minoris gravitatis specificaë ; cibi appetentiam naturalem revertentem ; linguam humidam et nitidam, cum cessatione febris sympatheticaë ; dolorem citò remediis cedentem, et cutem partis affectaë pallidam et frigidam factam, cum desquamatione cuticulaë. Indicia comitantia, nempe senectutem ; constitutionem per habitum pravum priorem laesam ; functiones internas multum perturbatas ; irritabilitatem summam totius generis nervosi cum febre irregulari, et transitionem citam inflammationis acutae ex una parte ad alteram, praecipue ad ventriculum et caput ; haec omnia animum induxi prognosin infaustam indicantia existimare.

DE CAUSIS.

IN causas Podagrae considerando, ego pariter ac plurimi alii scriptores, eas in causas praedisponentes et excitantes dividam, quam-

vis aliae, quae plerumque praedisponentes sunt, mea quidem opinione causae excitantes consideratae sint, ut diaeta, liquores potentes, &c.; de quâ causa efficere inter eas discrimen difficile est.

I. *De Causis Praedisponentibus.*—Podagra a multis auctoribus morbus haereditarius habita est, cui omnes obnoxii sunt, quorum progenitores eam prius habuerunt. CULLENUS celeberrimus eum morbum haereditarium esse dicit; et sic eum definit, “ morbus haereditarius, oriens sine causa externa evidente;”^{*} sed me iudice hoc applicatius definiri possit; nam in multis esse prorsus acquisitum invenimus; et ex observationibus practicis Doctoris SCUDAMORE constat ex maribus et foeminis sexaginta et octo, solùm in viginti sex haereditarium esse vel a patre vel matre.

CADOGAN dicit non haereditarium esse;

* Synopsis Nosologia.

sed haud dubium esse duco, quin in multis exemplis haereditarius sit; quoniam manifestum est, multos eo affectos esse, qui nunquam se ipsos ejus causis praedisponentibus exposuerunt; sed quorum majores, aut pater, aut avus, huic morbo subjecti fuerint.

Senectus ab omnibus scriptoribus universe notata est ad Podagram proclivitatem inducere; et sic SCUDAMORE dicit, “old age is “a striking character of the disease,”* nam morbus est, qui raro aut nunquam juvenem invadit; SYDENHAM notat, se nunquam in pueris vel peradolescentibus veram Podagram invenisse; et de Podagrâ in foeminis dicens, ait solummodo anus invadit. HIPPOCRATES in uno dogmatum haec verba habet: “Puer non laborat Podagra ante veris usum.”† HEBERDEN etiam dicit, se nonnunquam cognovisse exemplum Poda-

* Treatise on Gout, p. 62.

† Hipp. App. xxx. Sect. vi.

grae certum ante pubertatis aetatem incipiens.*

Corporis conformatio singularis, ut mihi videtur, in Podagricis observari potest, ut pectus capax, caput magnum, venae magnae et plenae, cum solidis laxis, et proclivitate ad obesitatem : quae ex habitu peculiari pendere dicitur.

Corporis temperamentum esse hujus morbi causam praedisponentem dici potest ; de quo CULLENUS sic dicit, “ If, with the ancients, we might ascertain, by certain terms, the temperaments of men, I would say that the gout attacks especially men of a choleric-sanguine temperament, and that it very seldom attacks the purely sanguine or melancholic.”†

Ignavia, praecipue post vitam gnavam Podagrae praedispositionem valide adjuvat

* Comment. p. 32.

† First Lines, Par. 497.

quum proclivitatem ad habitum corporis plenum et plethoricum promoveat, functiones coercendo excitantes varias; nam, in ejusmodi hominibus, intestina torpidissima sunt; huic homines eruditi, qui vitam inertem constantè ducunt, et quorum animi plus quam corpora exercentur, huic morbo plurimum expositi sunt.

Studium severum, praecipue per noctem productum ut causa praedisponens agere dicitur, debilitando actionem ventriculi et efficiendo intestinorum conditionem tardam; quae praecipue defectu exercitationis, pervigiliis, et declinatione ab horis quieti et somno natura deditis efficitur; hinc eum morbum inter aliquos homines eruditissimos frequentim invenimus.

Sexus virilis huic morbo magis subjectus est quam muliebris, etsi aliquando posteriorem afficit; eas praecipue, quae habitum plus validum et plethoricum habent.

Intemperantia est una causarum omnium creberrima ; quâ significo, indulgentiam immodicam cibi, ferculorum lautorum et conditorum, liquoris spirituosi, et vini, quorum omnes diathesin Podagricam inducere tendunt, laedendo functiones concoctionis et plethoram inducendo.

Praeter has, aliae causae commemorantur, quae ad hunc morbum praedisponunt ; nempe, venus immodica ; alimentum plenum ; animi affectiones ; cum defectu exercitationis vel vita sedentaria.

II. *De causis Excitantibus.*—*Plethora* tùm causa Podagrae excitans, tùm praedisponens est. Hoc accidit ex pleno alimento sine intemperantiâ, praecipue ubi conjungitur cum defectu exercitationis. Et accessus Podagrae saepe plethoricum oppugnat, cùm valetudinem optimam habet, et cùm nulla alia causa excitans assignari potest.

Aciditas, magnopere in primis viis accu-

mulata semper cum aliis causis accessum excitare plurimum confert, et aliquando sola satis erit. Ubi ventriculo ejicitur, materia gutturi acridissima est, et hoc testimonium ejus potestatis irritantis in ventriculo esse videtur. Usus amplius acidorum et acescentium, ac vegetabilium crudorum, et liquorum acidorum, ut causa excitans agit. Differentia notabilis hoc modo a Podagricis inventa est inter "Claret" et usum vinorum potentiorum ac vini rubri aut vini Hispani et Maderici.

Inter alias causas memoratas ab auctoribus quae hunc morbum excitant, *Intemperantia* una est, quae etiam causa praedisponens est. Ac velut causa excitans agit, producendo sanguinis abundantiam subitam, et actionem inflammatoriam circulationis generalis; quae aliquando accessum inducit, cum praedispositio ingens est. Et nonnunquam magna in ventriculum ingurgitatio, sola causa primum accessum inducendi esse videtur.

Frigus, vel per se, vel cum humiditate conjunctum toti corpori applicatum vel extremitatibus tantum inferioribus, praesertim defatigatione comitatum, ex aequo Podagrae causa evadit in homine qui morbo praedispositus est, quam phlegmasiis in universum; et multò frequentissima est causarum excitantium.

Omnes causae debilitatis praecipue ventriculum affectantes, accessum Podagrae inducere solent, ut venus immodica; intemperantia in usu liquorum inebriantium; ventriculi cruditas; studium nimis intentum; pervigilium; exinanitiones immodicae, et transitio subita ex diaetâ plenâ ad tenuem.

Laesiones externae etiam causae excitantes esse dicuntur, ac subluxationes, contusiones, &c.

DE RATIONE MEDENDI.

DE sanatione Podagrae opiniones diversae in medium prolatae sunt ab auctoribus multis et diversis qui de hoc morbo scripserunt. SYDENHAM adversum medici interpositionem in paroxysmo acriter contendit; et infeliciter haec opinio per omnia secula usque ad hunc diem experientiam medicorum multum affecit. CULLENUS etiam dicit “ I am much disposed to believe the
“ possibility of a cure of the gout by medi-
“ cines.”* In alia tamen parte operis dicit, multum fieri posse ad curam morbi per rerum administrationem idoneam, et sic dicit
“ I am firmly persuaded that any man who,
“ in early life, will enter upon the constant
“ practice of bodily labour, and abstinence
“ from animal food, will be preserved en-
“ tirely from the disease.”†

* Fitst Lines, par. 539.

† Op. Cit. par. 540.

Ut Podagra morbus plethorâ inductus haberi potest, cum ventriculi statu atonico, et partium musculosarum praecipue extremitatum inferiorum; ad exercitationem praesertim respiciendum est ut depellatur; sed ejusmodi mutatio maxima gradatim effici potest; aliter minime tutum est, et etiam accessum Podagrae inducat. Si Diathesis inflammatoria magna adest cum plethorâ, ad venaesectionem confugere oportet; abstinentia, vel temperantia arcta etiam aliud consilium necessarium est. Constipatio, quae comes hujus morbi usitata est, per exhibitionem catharticorum idoneorum removeri posset; quorum optima sunt, Extract. Colocynthid. et Calomelas, cum portione parva. Pulveris Antimonialis hora somni sumpta; mane sumatur Sulphas Magnesiae soluta in infusione Sennae cum aliquo aromatico. Usu vini et liquorum spirituosorum in parte, se non omnino abstineri debet; requiescere maturo et mane surgere injuncta sunt, cum animi relaxatione ex opere anxio.

De curatione, paroxysmo perstante, nunc dicendum est; et CULLENUS celeberrimus dicit, “ as, during the times of the paroxysms, “ the body is in a feverish state, no irritation should then be added to it, and every “ part, therefore, of the antiphlogistic regimen, except the application of cold, ought “ to be strictly observed.”* Evacuaciones per venaesectionem non tantum laudandae sunt quantum in aliis phlegmasiis; GREGORY celeberrimus in suis praelectionibus dicit, “ eas minime tutas esse; nec vel curam, vel tardationem morbi efficere putatas esse;” sed si diathesis phlogistica ardens est, cum actione cordis et arteriarum maxime aucta, hoc remedium tanti erit, quanti esset, si Podagra abfuisset; praeertim cum aliquid organum internum inflammatione affectum fuerit; quantitas abstrahenda, et ejus repetitio, symptomatum impulsu temperandae sunt, et effectus ab eo productus.

* Op. cit. par. 561.

Emetica.—E conditione ventriculi turbatâ in Podagricis ; nausêâ indicatâ ; vomitu ; linguae foeditate, &c. ; ad exhibitionem emeticorum ex usu inducti sumus, quae in exemplis plurimis utilia esse dicuntur.

Cathartica et Diuretica.—Ut constipatio unum symptomatum maxime constantium est, quae Podagram comitantur, omnibus manifestum videtur, cathartica exhibere necesse esse ; de quorum electione ratio medendi fausta paroxysmi pendet. Eodem modo, secretio parca et aspectus morbidus urinae usum diureticorum indicant.

Cathartica ab auctoribus diversis commendata, haec sunt ; nempe, calomelas cum extracto colocynthis composito, et parva quantitate Tartratis Antimonii ; Sulphur ; Manna ; Rheum ; Magnesia ; Pilulae Hydrargyri cum pulvere Antimoniali, &c. ; Unum eorum dicit Doctor SCUDAMORE, omni nocte vel secundâ quaque nocte repetendum esse secundum conditionem intesti-

norum et beneficium ex iis derivatum memorat. Idem auctor dicit se exitum faustissimum experiri e haustu composito ex Magnesiae grs. xv. ad grs. xx.; Sulphatis Magnesiae \mathfrak{z} i ad \mathfrak{z} ii; aceti Colchici \mathfrak{z} i ad \mathfrak{z} ii cum ulla aqua distillata et gratissima; et eum repetendum esse intervallo horarum quatuor, sex, vel octo, secundum facilitatem operationis, et impulsum symptomatum.*

Sudorifica pro conditione cutis calidâ et siccâ commendata fuerunt; sed ne ventriculum debilitent, caute dari debent. Antimonium in dosibus parvis cum opio conjunctum optimum est.

Opiata medicamenta optima sunt, quae, ut dolori solatium praebeatur, per accessus adhibeamus, oportet; cavendum autem, ne constipationem per eorum usum inducamus. CULENUS dicit, "opiates give the most re-

* Treatise on Gout, p. 186.

“ lief from pain, but when given in the be-
“ ginning of gouty paroxysms occasion them
“ to return with greater violence.”* Sed con-
cedit, ea cum salute et commodo, in exemplis
ubi paroxysmi vi diminuti sunt, sed usque re-
vertuntur, dari posse, praesertim senioribus.
Diaetae permutatio semper gradatim esse
debet; usus spirituum ardentium saltem
semel abrumpi debet; et, primo, quantitas
vini et vinorum hordeaceorum maxime re-
digi, et postea gradatim deponi. Unum
genus solùm cibi animalis, et id sine arte coc-
tum usurpetur. Diaeta lactea per totum
annum continuata apta ad curandum Poda-
gram esse putata est, sed hoc omnino falsum
est. Nullus potus acidus aegro praebeatur,
plerumque ventriculo Podagrico inimicus;
Thea, Pulmentum tenue et serum lactis
maxime idonea sunt. Ubi accessus mitiga-
tus est, exercitatio maximae utilitatis est,
et donec aeger ambulare potest, frictiones

* First Lines, Par. 570.

bis vel ter in die insumptae idoneae erunt.

DE CURATIONE LOCALI.

DE remediis localibus parum vel nihil apposite ab auctoribus traditum est, et variae opiniones de hac re esse videntur. Haec curationis pars, ut mea opinio fert, in plurimis exemplis ad libitum aegri conceditur, qui constantèr ad morem antiquorum pedem tegendi lanulâ recurrit, et folia caulis recentis parti affectae applicandi. Utilitas hirudines parti affectae applicandi ab auctoribus nonnullis laudata est, opinantibus inflammationem Podagricam inniti eâdem causâ cum aliis inflammationibus localibus, nempe actione aucta vasorum capillarium partis affectae; et CULLENUS ait sanguinis missionem per hirudines cum salute exerceri et repeti posse; SCUDAMORE autem eam non solum inutilem sed perniciosam putat.

Applicatio vesicatoriorum, et urticarum

uredo, et moxae, cum aliis applicationibus irritantibus, ab auctoribus diversis commendata est, sed haec plerumque pernicioosa putantur. Fomenta, cataplasmata, pediluvium et alii modi evaporationis etiam multum laudata fuerunt. Doctor KINGLAKE reductionem caloris in parte inflammata valide commendat et ait, “ that this salutary effect will never be produced by any agent “ so appropriately and extensively as by the “ topical effusion, showering, or other “ modes of applying water at its prevailing “ degree of coldness.”* Modus evaporandi a Doctore SCUDAMORE adoptatus, mihi optimus esse videtur, in quem multum laudis ille expendit; hic est; parti affectae applicatum servare linteolum involutum constanter madefactum lotionem infra dicta.

R. Alcoholis partem unam.

Misturae Camphorae partes tres m. ut
fiat Lotio.†

* Dissertation on Gout, p. 109.

† Treatise on Gout, p. 251.

Hactenus de curatione per accessum tractavi, et nunc pauca de modo persequendo inter convalescentiam aegri offeram; et primo, hoc efficere possumus ad sanitatem organa quae concoctioni inserviunt restituendo, et artus debilitatos roborando; etiamque conditionem constitutionis temperare, propriam curationem prophylacticam injungendo ad morbi reditum prohibendum, et si fieri potest, ad corpus defendendum ab accessionibus morbi futuris. Haec pars curationis, confiteor, difficillima est; quia homines magis post accessum Podagrae, quam ullum alium morbum, in modum priorem vivendi relabi prони sunt; praesertim, si accessio mitis fuerit. Igitur, regimen cautum quod ad dietam et exercitationem, et horas maturas, et moderationem intestinorum attinet, in ejusmodi exemplis omne erit, quod necessarium sit ad salutem generalem restituendam.

Ubi inflammatio partis affectae satis superata est, frictiones commode applicari

possunt, per momenta decem vel quindecim, et ter quaterve in dies; usus etiam fasciae circularis ex lanulâ vel veste utilissimus erit; et lavatio partium quoque mane aquâ frigidâ vel tepidâ, in qua sal parcè solutus est, utilis esse invenietur, quòd tonicum est remedium.

Ad corpus in universum confirmandum, in equo exercitatio frequens, et ambulatio moderata, valide commendanda sunt.

Postremo, functiones concoctionis organorum quantitate et qualitate cibi optime temperantur; hinc parva quantitas solum sumi semel debet, quae etiam sine arte coqui, et temporibus certis sumi debet. Remedia varia ad roborandum ventriculi tonum sumantur, ac amara, aromatica, et cinchona officinalis. SCUDAMORE pro ventriculi medicina formulam sequentem fere commendat.

- R. Columbae radice concisi ℥i ad ℥iss.
Cascarillae corticis contusi ℥ii ad ℥ss.
Rhei radice concisi ℥i ad ℥ij.
Cardamomi semen. contus. (capsul.
dempt.) ℥ss.
Aquae ferventis octarium dimidium,
macera per horas duas et cola, et
R. Hujus Infusi ℥xi. ad ℥xv.
Tincturae aurantii ℥i.
Sodae Carbonatis granas x. ad xv. m.
fiat haustus bis quotidie sumendus.

Sed magna cura in horum usu observari debet. CULLENUS ait *ferrum* medicamen efficacissimum esse pro ventriculi robore, quod sub formis variis dari potest; sed *rubigo* in pulvere tenui optima est; quae in dosibus amplis dari potest; semper idoneis medicamentis ad alvum ducendam uti necesse est; quorum, aptissima sunt, Magnesia, Sulphur, Sulphas Magnesiae, et multa alia: et aegrum ab omnibus potibus stimulantibus abstinere, quantum potest, oportet.

ERRATA.

2d Dedication, line 7. *for* Principiis *read* Principiis.

Page 2. — 15. — aggressionum — aggressionem.

6. — 19. — aggressam — aggressum.

7. — 13. — voraccissimus — voracissimus.

23. — 17. -- no period after parva.

IN THE COURT OF THE COMMONS OF GREAT BRITAIN

JOHN WILKINSON, of the County of Middlesex, Esq.
vs.
THE EAST INDIA COMPANY, Defendants.

Sheweth, That the said JOHN WILKINSON, doth
allege, That he is entitled to the said
sum of money, by virtue of a certain
contract made between him and the said
Company, in the year one thousand seven
hundred and eighty two.

And he sheweth, That the said Company,
in breach of the said contract, hath
refused to pay the said sum of money
unto him, and hath wrongfully
detained the same.



